



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

41. Quos testes adhibere possint Inquisitores in causa hæresis, & quæ fides ab ipsis habenda sit testibus inhabilibus, vel singularibus: Et pro praxi supra dictæ quæstionis 12. casus apponuntur, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

ad torturam, & nonnunquam quando persona denunciata est gravis, antequam careret, solet injungere uni ex Consultoribus, ut secreto modo se informet à Patrocho denunciati, vel aliis personis fide dignis, quomodo ipse denunciatus ambulet in vita & moribus; rard autem procedit ad citationem verbalem, & quādo citat, non inserit in citatione causam delicti, ut in aliis citationibus fieri debet, sed in genere citat ad subiiciendum se examini super nonnullis moventibus mentem ipsius Curiae tangentibus sanctam fidem. Ita ille, & ideo Pegna in *directi. Inquis. p. 3. comment. 17.* asserit, quod ad ipsorum capturam plena delicti probatio, vel maxima indicia, aut vehementes suspiciones praecedere debent, nam ex levibus suspicionibus non est ad eam veniendum, ubi rei fuga non timeatur, & licet soli Inquisitores possint capturam decernere, securus tamen est maturo Consultorum consilio rem tantam aggredi, & ob delictum omnium gravissimum, & ob famam, quae ob solam capturam non mercede laeditur, & ideo in *Instruct. Tolet. an. 1561. n. 3.* sic habetur. [Los Inquisidores vista la informacion juntamente, y no el uno, sin el otro, si estuviere ambos presentes acuerden la prision, y parezca seria mas justificada se comunicasse con los consultores de aquella Inquisicion si buenamente se pudiera hazer, y pareciere a los Inquisidores conveniente y necessario, y asientese por auto lo que se acordare.] Sic ibi.

2. De hac autem re vide Zanardum in *directi. Theol. part. 3. cap. 83.* Scacciam de *judic. lib. 1. cap. 44. num. 4.* & 5. Boerium *decis. 215. n. 34.* Simancam in *enchir. tit. 25. num. 2.* & Rojas de *haeret. part. 2. assert. 1. n. 22.* ubi docet unius testimonium omni exceptione majoris sufficere ad carcendum; scus si accusator esset nobilis ac bonae opinionis, & famae, nam in tali casu requiritur, ut plures adsint testes, vel indicia. Vnde aliqui docent, etiam in causa haereticis Sacerdotem non esse in carcendum ex unius testis delatione. Vide Acagnam *tract. de Confess. sollicit. q. 4. num. 27.* & Sigismundum Scacciam *lib. 1. cap. 44. n. 4.* & 5. Sed in casu occurrenti DD. Inquisitores considerabunt circumstantias, & qualitates testis, & rei.

RESOL. XL.

An Inquisitores in aliquo casu possint delegare examen testium? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 29.

§. 1. Respondeo quod licet Inquisitores debeant ipsimet reos & testes examinare, tamen si testes essent legitime impediti, possunt eorum examen delegare alteri, secundum Scacciam de *judiciis lib. 1. cap. 87. num. 15.* & Simancam in *catol. instr. tit. 64. n. 11.* ubi n. 13. sic asserit. Illustres viri & aliae honestiores feminae non sunt facile ab Inquisitoribus in judicium trahendi, sed vel ad has personas judices ire, vel certe alios mittere debent, quod quidem ex dignitate, auctoritate, & honestate aliisque testium qualitatibus constituendum erit. Ita ille. Vide etiam Rojas *singul. 204. n. 7.* ubi sic ait. Testium examinationem Inquisitores alteri non committant, nisi in duobus casibus, videlicet quando testes legitime sunt impediti, & quando non decet ut Inquisitor ad eos accedat, & ideo in instructione Hispal. edita ab Alphonsio Manriquez Cardinali n. 17. sic invenio determinatum. [Los Inquisidores por si mismos regiban y examinen los testigos y que no cometan la examinacion dellos al notario ni a otra persona, salvo si el testigo estuviere enfermo de tal enfermedad, que no puede parger ante el Inquisidor, y al Inquisidor no fuere honesto, ya a recebir su dicho, o fuere impedido que en tal caso puede el In-

quisidor cometer la examinacion del testigo al juez ordinario Ecclesiastico del lugar, y a otra persona provida, y honesta que lo sepa bien examinar con un notario.] Sic ibi.

2. Vnde doctus Didacus Cantera in *quasi. crim. c. 2. de vera confessione, n. 8. fol. 77.* sic ait. In causis haereticis secundum juris dispositionem est prout per instructionem Hispalensem, quod Inquisitores per se ipsos examinent testes, & si ex justa causa contingerit committi alicui, ille qui examinat, faciat relationem Inquisitoribus de forma & modo quo talis testis deposuit. Haec ille, ex quibus apparet Inquisitores alteri vices committere, si mulierem honestam non deceat domo exire ad testificandum, & ita etiam docet Castus Palas *tom. 1. tr. 4. disp. 8. punct. 15. §. 3. n. 1.*

RESOL. XLI.

Quos testes adhibere possunt Inquisitores in causa haereticis & qua fides ab ipsis habenda sit testibus inhabilibus, vel singularibus?

Et pro praxi supradictae questionis 12. casus explanantur, & apponuntur in textu hujus Resolutionis. Ex p. 4. tr. 8. Ref. 57.

§. 1. Dico primo in causis fidei omnes praeter inimicos capitales in testes admitti posse, ut excommunicati, criminosi, infames, loci criminum, ut patet in *c. in fidei favorem, de haeret. in 6.* Vnde etiam admittitur perjurus, ludaeus adversus Christianum apostatantem, item haereticus, domesticus, familiares, consanguinei, mulieres minor 14. annorum: unde excluditur tantum, ut dictum est, inimicus capitalis. Vide Gundissalvum de *haeret. q. 13. n. 10.* & 12. Pegnam in *directi. Inquis. p. 3. comment. 114.* & *comment. 119. p. 2. comment. 13.* Zecchium in *sum. tom. 1. tit. de fide c. 11. n. 14.* Simancam in *catol. instr. tit. 64. Rojas singul. 197. Mascardum lib. 2. concl. 762. n. 22.* & alios penes ipsos.

2. Dico secundo quod supradicti testes inhabiles admittantur sine tortura, & licet aliae adsint probationes, vide Rojas *singul. 188. n. 6.* & de *haeret. p. 2. n. 153.* & alios relatos a Mascardo *lib. 2. concl. 87. n. 31.* cum Simanca *ubi supra, n. 37.* & Deciano in *tr. crimin. lib. 5. c. 35. n. 1.* Et hoc verum est non solum si procedatur per viam Inquisitionis, sed etiam per viam accusationis, quidquid in contrarium asserat Barbosa in *collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. c. 5. n. 8.*

3. Dico tertio hos testes non esse admittendos in haeretici defensionem, si ab ipso inducantur, quidquid asserat Gomez *tom. 3. var. c. 12. n. 13.* & alij. Sed nostram sententiam tenet Rojas *singul. 188. n. 9.* & 10. de *haeret. p. 2. n. 177.* Farinacius de *haeresi q. 188. num. 81.* & ego ipse *supra.*

4. Limitatur tamen haec opinio circa familiares, domesticos, & consanguineos, qui admitti possunt in favorem haeretici, non tanquam integri testes, sed tanquam testes diminuti, maxime si sint probatae vitae, & ita tenet Pegna in *directi. Inquis. p. 3. comment. 119.* Zecchius *ubi supra,* & alij. Verum negativam sententiam tenent plures, quos refert Mascardus de *probat. lib. 2. concl. 857. n. 24.* Crotus de *testibus, n. 105.* Farinac. de *haeresi q. 188. n. 149.* & alij.

5. Dico quarto supradictos testes inhabiles, criminolos, &c. non integre delictum probare, ex quo fit duplice teste confesse, locis criminis, aut alias inhabilibus non posse reum ad poenam ordinariam condemnari, etiam si indicia, & circumstantiae concurrant, quibus praesumi potest veritatem deponere. Et ideo depositio unius testis inhabilis rard ad torturam sufficit, nisi aliis admipiculis & praesumptionibus gravibus adjuvetur.

Deposito

Sup. his testibus inf. in tr. 11. ref. 11. in principio, & in §. Notandum est in principio, & in §. Nota tertio, & §. penult. & ult. Sup. hoc pro teste excommunicato, supra in tr. 1. ex lata doctrina ref. 112. curissime in ejus lia. ult. & in tom. 2. tr. 6. ex doctrina ref. 92. §. 1. in fine, vers. Excipitur. Sup. hoc inf. in tr. 11. ref. 11. à liu. 6. Sup. hac in ref. not. praeterit §. Nota secundo.

Sup. ibidem §. Notandum est. Et pro familiaribus, domesticis, & consanguineis contentis in hoc §. limitatur, ibidem §. verum ad medium à vers. Hinc à fortiori.

Sup. contentis in hoc §. infra in tr. 11.

Ref. 11. §.
Nota quan-
to, signaret
ad med. & in
aliis ejus
annot.

Sup. hoc inf.
in Ref. 75 a
prin.

Deposito vero duorum sufficiat ad torturam, vel ad poenam extraordinariam; trium, vel quatuor depositio ad condemnationem ordinariam sufficiat, quia ex multitudine deponensium fulcitur eorum inhabilitas. Vide Pegnam in direct. part. 3. q. 64. comment. 1. 13. Farinac. de heresi, q. 188. n. 83. Mascard. de probat. lib. 2. concl. 85. §. 38. Delictum in disquisit. magic. lib. 5. in append. 2. q. 12. 13. 14. & 15.

6. Dico quintò, non probari delictum plenè & perfectè, esse cum teste aliàs inhabili concurrat testis omninò integer, & valde dignus, nisi concurrerent aliæ circumstantiæ & indicia. Vide Sanctarellum de heresi, cap. 38. dub. unic. num. 7. Pegnam in direct. Inquis. part. 3. comment. 1. 13. Farinacium quest. 188. num. 69. & alios.

7. Verùm libet hîc adnotare breviter aliqua circa testes singulares, unde præmitto triplicem esse singularitatem testium, obstativam, adminiculativam, & diversificativam. Obstativa singularitas est, cujus dictum alterius dicto repugnat. Adminiculativa est, cujus dictum alterius dicto favet & patrocinatur, ut v. g. si unus deponat vidisse delinquentem, alter audivisse. Diversificativa est cum ex testium depositionibus diversus actus in specie, & in substantia colligitur, ut si quis dicat, Petrum hæresim commisisse tali die & tempore, alius verò deponat alio loco & tempore. Ita Paramus, Rojas de heret. part. 2. n. 122. Pegna in direct. Inquis. part. 3. comm. 1. 21. & alij communiter. Hoc igitur supposito.

8. Dico sexto, testes singulares singularitate obstativa nihil probare, testes verò singulares singularitate adminiculativa, seu cumulata, vel diversificativa, licet delictum plenè non probent, quoad poenam ordinariam, probant tamen quoad torturam, & quoad poenam extraordinariam, quia delictum per dictos testes plusquam semiplenè probatur. Ita Pegna ubi supra. Parisius libro 4. consilio 2. num. 93. Mascardus de probat. lib. 2. conclus. 856. num. 12. & seq. cum aliis.

Sup. hoc inf.
in §. Dico
undecimo.
hujus ref. &
in aliis ejus
annot.

9. Dico septimò, aliquos asserere duos testes omni exceptione majores sufficere ad convincendum aliquem de heresi, etiam si unusquisque de suo actu hæreticali diverso testificet, ut si, v. g. unus testis dicat te ex observantia legis antiquæ Sabbatum custodisse, alius jejunasse, vel te circumcidi permisisse. Ita Simanca in Cathol. instit. tit. 37. num. 11. Menochius lib. 1. consil. 82. num. 138. & alij, licet magis probabiliter contrarium asserant Rojas de heret. part. 2. num. 142. & seq. Pegna in direct. part. 3. comment. 1. 21. & alij, quos ego supra in hoc tractatu citavi. Dico igitur supradictos testes non esse sufficientes ad condemnandum aliquem poena ordinariæ, sed tantum ad poenam extraordinariam.

Sup. hoc inf.
in tr. 12. ref.
31. §. inter
princip. &
med. à ver.
Secum hæc
omnia.

10. Dico octavò, Testes deponentes de quodam actu hæreticali, variantes tamen in loco & tempore, sunt testes singulares, nec sufficiunt ad convincendum aliquem de heresi. Ita Pegna ubi supra. Mascardus de probat. lib. 2. conclus. 856. num. 13. & alij, licet aliqui probabiliter contrarium asserant, ut Conradus Brunus lib. 4. de heret. cap. 9. Albertinus, Simanca, & alij, quos ego supra in hoc tractatu citavi.

11. Dico nonò, quòd si unus testis deponat de hæresi tali loco & tempore prolata, & alius de illa deponat, non designato tempore, nec loco, testes testes debent reputari, sed non integrè, & ideo ex illis delictum plenè non probatur, unde reus non potest condemnari ad poenam ordinariam. Vide Farinacium quest. 64. num. 74. & num. 107.

12. Dico decimò, testes deponentes de eadem hæresi commissa eodem loco & tempore, si in verbis discordant, faciunt plenam probationem, ut v. g. si ali-

quis testis deponat Petrum in tali loco & tempore dixisse, imagines non esse venerandas, alius verò testis deponat illum dixisse inutilem & abolendum esse cultum sacrarum imaginum. Et ita tenet Pegna ubi supra q. 3. comment. 1. 21. Rojas de heret. part. 2. n. 132. Mascardus de probat. lib. 2. conclus. 856. n. 18. & alij, quidquid in contrarium sentiat Albertinus in cap. 1. q. 16. n. 24. de heret. & q. 34. n. 47. de agnoscend.

13. Dico undecimò, ex multitudine testium singularium neminem ut hæreticum in poenam ordinariam condemnari posse. Itaque si quatuor vel plures testes omni exceptione majores deponant, quilibet de sua propositione, vel actu hæreticali, non sufficiunt ad condemnandum aliquem pro hæretico ad poenam ordinariam. Ita docet Pegna ubi supra. Berolus in cap. licet causam, n. 43. de probat. Crotus de testibus part. 7. n. 326. Rojas de heret. part. 2. num. 146. & seq. quicquid in contrarium asserat Czpolla consil. 3. Marfilii consil. 1. n. 71. & alij, quos supra citavi & citat Farinacius q. 64. n. 305. & quia in hac resolutione sermo incidit de testibus, aliqua præter superius dicta etiam hîc adjungam. Igitur.

14. Dico duodecimò testes in crimine hæresis posse interrogari, etiam licet non contestata, & parte non citata, quia Inquisitores procedunt in suis causis simpliciter & de plano, & ita docet Simanca in cathol. instit. tit. 64. num. 15. & in enciclid. tit. 35. num. 8. Pegna in direct. part. 2. comment. 19. Rojas frequenter, & alij. Sed difficultas est, an sic examinati probent? Quæro igitur.

RESOL. XLII.

An Inquisitores præter Secretarium, quando recipiunt testes teneantur adhibere duas Religiosas personas? Et an sub nomine Religiosorum intelligantur etiam Clerici?

Et an etiam data copia Regularium, & Clericorum, sufficiant laici graves, & prudentes?

Et an Episcopi in recipiendis testibus contra Hæreticos teneantur adhibere dictas duas personas Religiosas? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 12.

§. 1. **R**espondeo affirmativè, ex caput officium, §. verum, de heret. in 6. sed sub nomine Religiosorum intelligi etiam Clericos, docet Simanca in instit. cathol. tit. 64. num. 9. imò laicos graves & prudentes tenet Pegna in direct. Inquis. part. 3. quest. 83. Sed hanc Pegnæ opinionem Paflecius in praxi part. 3. cap. 4. artic. 6. num. 4. & M. Anton. Genuef. in praxi Archiep. cap. 68. num. 1. limitant quando Clerici inveniri non possunt, tunc enim laici graves & prudentes adhibendi sunt.

2. Sed ego absolūtè puto etiam data copia Regularium & Clericorum sufficere laicos graves & prudentes, & ideo Zecchius in summ. tom. 1. de heret. cap. 11. num. 15. Scaccia de judiciis lib. 1. cap. 87. num. 16. & Sanctarellum tract. de heresi c. 38. dub. unic. num. 5. asserunt, quòd in Tribunali S. Inquisitionis absque præsentia personarum religiosarum sunt processus, & tales processus approbat Generalis Inquisitio Romana, & notant esse magis consilium, quàm præceptum quod debeant interesse duæ personæ religiosæ. Verùm in Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ in recipiendis testibus adsunt semper quinque personæ, Index, testibus, seu Notarius, & duæ religiosæ personæ, & religiosas personas voco non regulares, ut supra dixi, sed quæ animi candore & Religionis zelo commendentur. Ita noster Paramus de orig. Inquis. lib. 3. q. 4. n. 50. Vide etiam Menochium vol. 2. consil. 149. Sed